





**Graduale.** Benedícta & venerábilis es virgo María : quæ sine tactu pudôris invénta es mater Salvatôris. **V.** Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

**S**equéntia sancti Euangélíi  
secúndum Lucam.

Lucæ  
11. d

**I**N illo témpore : Loquente Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam mûlier de turba, dixit illi : Beátus venter, qui te portávit; & úbera, quæ suxísti. At ille dixit : Quinímmò beáti, qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud.

**Offertorium.** Beáta es virgo María, quæ ómnium portásti Creatôrem : genuísti qui te fecit, & in ætérnum pérmanes virgo.

**Secreta.**

**M**Unera nostra, Dómine, apud cleméntiam tuam Dei genitrícis comméndet orátio : quam idcírcò de præsentí sæculo transtulísti, ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercêdat. Per eúndem Dóminum.

**Pro sancto Laurentio.**

**Secreta.**

**A**Ccipe, quæsumus Dómine, múnera dignánte oblâta : & beáti Lauréntii suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxiliúm proveníre concêde.

**Pro S. Eusebio. Secreta.**

**L**Audis tibi, Dómine, hóstias immolâmus, in tuórum commemoratióne Sanctórum : quibus nos & præsentibus éxui malis confidimus, & futúris. Per Dóminum.

**Præfatio communis.**

**Communio.** Beáta víscera Mariæ vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

**Postcommunio.**

**C**oncêde miséricors Deus fragilitáti nostræ præsidium : ut qui sanctæ Dei genitrícis festivitátem prævenímus, intercessiônis ejus auxilió, à nostris iniquitatibus resurgâmus. Per eúndem Dóminum nostrum.

**Pro sancto Laurentio.**

**Postcommunio.**

**S**acro múnere satiáti, súpplíces Ste Dómine deprecámur : ut quod débitæ servitútis celebrâmus officio, intercedente beáto Lauréntio mártýre tuo, salvatiônis tuæ sentiâmus augméntum.

**Pro sancto Eusebio.**

**Postcommunio.**

**R**Efecti cibo potûque cœlésti Deus noster, te súpplíces exorâmus : ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniâmur & précibus. Per Dóminum nostrum.

